



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

7. De cruciatu mundi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

qui à vento diffusus est : & tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis. Temporale comparatum ad æternum, est, quasi res quæ iam præterit. In Psalm. Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesternæ quæ præterit. Item est velut somnium, secundum illud : Velut somnium auolans non inuenietur, & transiet sicut visio nocturna. Parum durant homines, parum durant res temporales, & citò transeunt de persona in personam. De primo. Quid est vita nostra? Vapor ad modicum parens. In Psalm. Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros libani : transiui, & ecce non erat. De secundo dicit Augustinus, 3. lib. Confessionum. Si quid arrisisset prosperi, tædebat apprehendere: quia penè priusquam teneretur, euolabat. Bernardus. Erras si mansuras tibi putas diuitias : quæ per tot manus hominum transierunt.

*Psal. 89.**Iob 20.**Psal. 36.**De Cruciatu mundi.*

CAPVT VII.

Circa mundi cruciatū nota, quòd vita mundana multum est laboriosa. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, ambulauimus vias difficiles: Fatigationis huius duplex est causa, scilicet, multitudo agendorum: & multitudo impedimentorum. Amatores mundi tot inueniunt impedimenta in his quæ agunt, quòd etiam homines potentes non perficiunt quod intendunt. Greg. Vita præsens laboribus plena est, cum luctu agitur, & cum lachrymis amittitur. Non sunt sine cruciatu, qui amore spinas diuitiarum amplectuntur. Dicitur atiaro : Cuncti dies

Sap. 5.

B 2

eius

- Ecl. 2.* eius pleni sunt doloribus & ærumnis: nec per noctem mente requiescit. Non sunt sine cruciatu, qui in spinis vitiorum iacent. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Non sunt sine cruciatu, quos vermis conscientiaë rodit. Arguet te malitia tua. Augustinus. Curre per singula, & inuenies tot animæ tormenta, quot vitia. Tormentum superbiæ est quasi suspendiũ. Qui suspenditur ad lignum altum; fune ligatur. Superbus verò in vinculo amoris ad ipsam altitudinem ligatus est. Est enim superbia secundum Augustinum, amor propriae altitudinis. Ponderositas corporis, qua suspensus inferius trahitur, qui fune ligatus in alto tenetur, est ei occasio doloris: sic superbum affligunt impedimenta suæ exaltationis. Tormentum vanæ gloriæ est, quòd ipsa amatores suos, vento detractiois & adulationis expositos, inquietat. Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos; modò parui, modò magni, modò nulli videntur.
- Matth. 7.* Tormentum iræ est excæcatio. Impedit enim ira animum, ne possit cernere verũ. Homo iratus est quasi furiosus. Aliquando manus in se iniicit. Homo per malitiam occidit animã suam. Aliquando aggreditur proximum suum, aliquando Deum, vel aliquos sanctos eius blasphemando. Ipse est quasi demoniacus secundum illud; Exagitabat Saul spiritus nequã à Domino.
- Hier. 2.* Tormentum inuidiæ valde magnum est. Sapiens. Quanta sunt hominum scelicitum gaudia, tanti sunt inuidorum gemitus. Inuidus amittit quod alij lucrantur. Horat. Inuidia Siculi non inuenere tyranni, maius tormentum, Inuidus alterius
- Epistol. ad Demet. ca. 18. in med.*
- Lib. 11. super Gen. ad lit. cap. 14.*
- Psal. 106.*
- Sap. 16.*
- 1. Reg. 16.*
- Lib. 1. epist. epist. 2. circ. finem.*

alterius rebus macrescit opimis. Tormentum
 accidiæ tantum est, vt morti compareretur. Desi-
 deria occidunt pigrum. Noluérunt quidquam *Pro. 20*
 manus eius operari. Tota die concupiscit & de-
 siderat. Totus est famelicus, cum sit otiosus. Au-
 res eius esuriunt rumores: oculi vanitates; gula
 manè comedere vellet. Tormentum gulosi ma-
 gnum est. Ipse patitur quasi caninum appetitum.
 Cum non esurit cibum, esurit esurié cibi. Ven-
 tre enim pleno, si delicata habeat, tristatur: quia
 non habet vel appetitum; vel vacuitatem ven-
 tris. Vox gulosi est verbum illud Esau: En mo- *Gen. 25:*
 rior, Tormentum etiam infirmitatis frequenter
 vitium gulæ comitatur. In multis escis erit infir- *Eccl. 37.*
 mitas. De tormento huius vitij dicit sapiens qui-
 dam; Si videres epulones velut opimos boues
 stertere & sudare, intelligeres eos qui maximè
 voluptates sequuntur, minimè assequi. Tormè-
 tum luxuriæ, magnum est. Voluptas enim huius
 peccati, inter amaritudines inclusa est. Procura-
 tio habet afflictionem: & finis sceditatem. Sene.
 In voluptate nihil est magnificum: nihil quod
 naturam Deo proximam deceat; membrarum
 turpium ministerio veniens, exitu sceda. Amor
 se fatuè amantium, est quasi ignis infernalis eos
 crucians. Tormentum cupiditatis & auaritiæ
 magnum est valde. Sicut patet ex hoc quòd ve-
 ritas diuitias spinas vocat. Abel frater fuit Cain:
 Luctus enim comitatur possessionem tempora-
 lium. Abel luctus, Cain possessio interpretatur.
 Greg. Quid quietius quàm nihil in hoc mundo
 appetere? Quid laboriosius, quàm terrenis desi-
 deriis æstuarè? Hinc est quòd Israel accepit sab-
 batum

Ysa. 14.

batum in munere. Ægyptus percutitur muscarum multitudine. Sapiens. Nihil grauius potest imprecari cuius inimico auaritia; quæ in præfenti tormenta patitur, & in futuro æterna supplicia meretur. Ponam Babilonem in possessionem ericij: vt scilicet pungatur ab his quæ possidet, sicut tangens ericium ab eo pungitur. Diuites, amatores temporalium, exterius videntur felices: interius tamen sunt miseri. Seneca. Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta est, & grauis tristitia: eo quidem grauior, quod non licet interdum palam esse miseros: sed inter ærumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem.

De periculo mundi.

CAPVT VIII.

*Psal. 103.**Osea 4.*

Circa mundi periculum nota, quod mundus est valde periculosus: propter quod mare dicitur. In Psal. Hoc mare magnū & spaciosum. Periculum huius maris, iuxta verbum Bernard. probat transeuntium raritas, & pereuntium multitudo. In mari Marsilia, de quatuor nauibus nō perit vna. In hoc mari, de quatuor animabus nō saluatur vna. Mirabiles elationes huius maris. Nunquam est ibi tranquillitas: incessanter flant ibi venti, & qui in hoc mari perit, eternaliter perit. Quasi locus diluuij est mundus iste: vbi pauci respectu pereuntium saluantur. Maledictum, mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt. Mundus est velut locus pestilens. Declinant sapientes loca pestilentia, maximè quando vel ægrotos, vel agrotandos se cogno-